



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**REPERTO||RIVM LIBRORVM TRI||VM IOANNIS BOEMI DE
OM||NIVM GENTIVM RITIBVS,||**

Boehme, Johann

Augustæ Vindelicorum, 1520

VD16 VD16 B 6316

De Germania, & institutis eorum plurimis. Caput Duodecimum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98144)

ex ipsiſ tanquam ex officina quadam prodibant, quorum ſacrorum capita Q. Martio Philippo & Poſthumio Albino conſulibus Rhomę capitali ſunt ſupplicio affecta, vt ſcribit Sabellicuſ Enneade quinta libro ſeptimo Hanc Boemorum impietatem nefandam hæreſim quatuor reges Ven- ceſlaus, Sigifmundus, Albertus & Vladiflaus extirpare non potuerunt, quamuis ſæpius totis viribus attentarunt.

Hæreſis Boemorum in- uicta.

De Germania, & inſtitutis eorum plurimũ.

Caput Duodecimum.

Germania Regio Europę ampliffima, tota ſeptentrionalis, a Gallis olim Rheno fluuio diuiſa fuit, a Rhetis & Pannonibus Danubio, a Sarmatis Daciſq; mutuo metu & montibus ſeparata, cætera oce- ano ambiente, hodie extra hoſ ſines Rhetiam, Vindeliciam, Noricam, & ſuperiorem Pannoniam, Alpes, partemq; Illirię & vſq; ad Tritentina clauſtra Germania obinet: Belgarum quoq; fere tota natio Gallici quon- dam iuris, omniſq; Rhenus in Germanię nomen linguamq; conceſſit, vt iam ſe Gallos dici neſciant, ſi audiant indignentur. Heluetij quoq; in Germanię nomen & linguam tempore labente tranſiere. Itaq; magnam Gallię Tranſalpinę partem ipſa Germania ſibi vendicauit. Prutenos fero- ciſſimam gentem & idolis deditam intra tricentefimum annum ex infide- lium manibus milites Teutonici vi & armis rapuerũt, vbi & lingua Teu- tonica introducta eſt, & Chriſti cultuſ genti imperatus. vnde habita ad pri- mæuos illius terminos conſideratione, videbitur certe illa ſibi fere plus ſoli extra vſurpaſſe, q̃ intus prius continebat. In duas velut partes ab ini- tio tota Germania diuiſa fuit, vt quę Alpibus propinquior eſt, ſuperior ſit Germania appellata: altera ad ſeptentrionem atq; oceanum verſa inferior: durat hæc partitiõ ſub Alemanię appellatione (quę a Lemano, vt qui- daũ autumant, lacu eſt) in hunc vſq; diem. Prouinciã tam hæc q̃ illa multas habent: ſuperior a Mogano flumine, quod Franconiam perlabi- rur, aſcendendo Bauariam habet Auriã, Styriã, Atheſim, Rhetiam, Heluetiam, Sueuiã, Alſatiã, prouinciã Rhenenſem Moguntiacum aduſq;. Inferior, Franconiam, cuius magna pars meridiem verſuſ etiam in ſuperiorem protenditur, habet Haſſiã, Lothoringiam, Brabantiam, Gel- riam, Selandiam, Holandiam, Phriſiã, Flandriã, Veuſtaliã, Saxoniã, Daciã Peninſulam, Pomeraniã, Liuoniã, Pruſſiã, Sle- ſiã, Morauiã, Boemiã, Myſnam, Marchiã, Thuringiã,

Germanię veteres limi- tes

Quid Ger- manię accel- ſit.

Pruſiã Ger- mania ven- dicauit

Germania duplex

Alemania

Prouincię Germanię multę Superior Ger- mania vulga- riter Hoch- reuſchland, Inferior Ger- mania vulgo niderreutiſch land,

De oim gentiū ritibus.

Fuit Germaniæ terra ab initio, vt Cornelius Tacitus scribit, & si aliquando specie differebat, in vniuersum aut syluis horrida aut paludibus fœda, humidior qua Gallias, ventosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit, frugiferarū arborum & omnis culturæ impatiens sterilis, pecorum tamen fœcunda, sed plerunq; in procerorum, auro atq; argento immunis, & propterea vilis deipsectaq; ab omnibus. Hodie Regio adeo amœna est, adeo pulcherrimis nitidissimisque vrbibus castris & pagis passim exornata exulta, vt nec Italia, non Gallia, non Hispania ipsa cedat. Cœlum satis clæmens habet. Campi fertilitatem oprandam. Sunt colles aprici, nemora opaca, frumentorum abundantia, vitiferi montes, clarissimi amnes, Rhenus, Danubius, Moganus, Albis, Neccharus, Sala, Odera, & multi alij fluuij, & riuilympidissimi totā terram rigantes. Sunt fontes dulcis aquæ, sunt therniæ calidæ, sunt minere salis plurimæ: metallorum item fertilitate nullis terris cedit. Vniuersa & Italia, Gallia, Hispania argentum ex Germaniæ negociatoribus fere omne habent, metallaq; non parum multa, nec auro est priuata. Quod si hodie priscorū quisq; ab inferis resurgeret, ac oculis intima regionis contemplaretur, nunquid non multum is miraretur? aut quid diceret tamen, si videret quanta nunc esset locorum salubritas, cœli humana temperies, vbertas soli, vini frumentiq; quanta copia, arborum consitiones, quis splendor vrbium, templorum sacra, & erga deum religio, vrbalitas ciuium, vestitus hominum, rei militaris peritia, apparatus bellicus, cæteraq; ornamenta, Germanorum, nobilitasq; q̄ sincera, profecto, vt reor, non diceret terram informem, asperam cœlo, tristem cultu, videret sane q̄ verum sit illud, quod dicitur. Sæpius bonam materiam cessare sine artifice. Nam etsi alijs regionibus mitior hyems sit, fructusq; nobiliores, minus tamen æstus temperatus est, vnde & frugum corruptio: adde animalia venenosa, & alia ad humani generis pernitiem intensissima, difficilis satis erit iudicatu, quæ cuiq; prouincia comparanda sit, quæ anteferenda. Dicta autem est Germania recentiori appellatione q̄ eius populi fere omnes inter se perinde ac fratres, pares existerent tum corporum dispositione tum moribus atq; viuendiritibus, prius Teutonia a Tuiscone Noe filio, & Alemannia a Manno eius filio, qui gentis authores conditoresq; memorantur, vocitata fuit. Quamuis plæriq; gentem indigenam, i. inde genitam nec alicunde prouectam arbitrentur, & cuius opinionis hic est, qui ita verificatus est.

Gens intricta manet toto notissima mundo
 Terra vbi se deuexa globo demittit in arcton
 Solis & algoris patiens duriq; laboris
 Ingrata ignauiam vitæ tolerare quietem
 Indigena haud alia ducens primordia gente
 Sed cœlo producta suo Demogorgonis aluus
 Protulerat: patulas vbi cuncta creata sub auras.

Germanos vocitant Itali: Grai sed Adelpnos:
 Quæ fratrum soleant inter se viuere more:
 Nomen nobilibus quod adhuc venerabile nostris
 Pectoribus: similes ingentes corporis artus
 Prodiga cui natura dedit: per lactea colla
 Candida proceris tollentes corpora membris:
 Flaua coma est: flauentque oculi: flauoque colore:
 Temperie iustam retinent sua membra staturam:
 Vox habitum mentis cum gesto & pectora prodit:
 Vox quæ nil muliebri sonat: sed tota virilis
 Martia crassiloquo testatur corda palato:
 Commune his studium venari, equitare, vagari,
 Atque suum varias victum quæsisse per artes:
 Vel Bacchum viduis crescentem iungere palis
 Aruamque quadriiugo profcindere pingua aratro:
 Nec patrio tepuisse solo iuuenilibus annis:
 Sed mox doctiloquæ præcepta adhasse Mineræ:
 Vel vaga veliferas duxisse per æquora naues:
 Atque suis terris varias adducere merces:
 Nec censere nefas animum intendisse rapinis:
 Dum fera belligeri meditantur prælia Martis:
 Atque illum regum celsas quæsisse per aulas/
 Quatuor ad fines quas Teutonis ora coercet:
 Siue per Herciniæ nemorosa cacumina syluæ
 Dentatis prosternere apros: syluisque vagantes
 Aripedes ceruos vrsosque agitare feroces.
 Vnguibus accipitres trucibusque iubere rapinas
 Tollere: & euulsas dispergere in æthera plumas:
 Hinc animus dubijs audens se credere rebus:
 Nec segnis timidusque mori roseumque cruorem
 Pro patria & charis certans effundere amicis:
 Atque audidus cædis: si qua vlla iniuria læsit:
 Quicque fidem sancto & constanti pectore seruet
 Religionis amans superumque & cultor honesti:
 Et veri iustique tenax mens consona labris/
 Ficta, colorataque fugiens mendacia linguæ.

Prælium inituri Germani sacrum hymnum Herculi canebant, quem vole-
 bant aliquando in eam terram venisse, graui & terribili sonitu, non dissono,
 cæterum ad terrorem quæsito pugnam capebent. Truces oculi pluribus
 ac cærulei, rutilæ comæ, procera corpora, ad primos impetus subita & præceps
 natura. Cæterum laborum operumque impatiens. Sitim & æstivum Galli non ferunt. fri-
 gorum patientissimi. Auri & argenti his olim vsus nullus. Argentea vasa coram le-

Hercules in
 Germania
 fuit

Auri & argenti
 vsus olim non
 habuit

De omnium gentium ritibus.

tis data aut principibus muneri missa, non minori contemptu quam fictilia tractabant. Commerciorum usus aurum & argentum ab his primo receptum. Credita & a quibusdam tellus ipsa talium metallorum expers, quin & ferri inops: quo accidit, ut olim rari viderentur gladijs in praelio, sed longiori hasta, quam ipsi frameam vocant: & in ea breui ferro, habili telo, siue cominus siue eminus dimicarent. Eques scuto & hasta instruebatur. Pedites missilia spargebant, plura singuli. Nudi in pugnam, aut breui sagulo tuebantur, nulla cultus occultatione, scuta tantum coloribus, hisque lectissimis distinguebant, paucis loricae usus, vix vni alterius cassis, aut galea. Equi nec forma nec velocitate conspicui, nec in gyrum ut Italici, sed recto tantum conatu agunt. Scutum in pugna amisisse praecipuum flagitium, ut sacris & publico concilio excluderentur eiusmodi clade adfecti. Multi tali infamiae superstites vitam laqueo finierunt. Reges nobilitate legebantur, nec his libera infinitaque potestas fuit. Exercitus is ducebat, qui praecipua virtute praestaret, quique exemplo magis, quam Imperio polleret. vincere verberare animaduertere in quenquam nullius ius esse praeterquam sacerdotum ut non Imperio, sed diuinitus flagitia vindicari crederentur. Signa quaedam deorum lucis detracta in praelium gestari praecipuum in pugna incitamentum. Omnes suas necessitudines in proximo statuebant, ut in suorum conspectu, aut gloriose vincerent, aut cum laude caderent: liberi, coniuges, parentes sanctissimi pugnae testes adhibebantur. Ad matres & uxores accepta vulnera deferebant: nec illae & numerare & exigere plagas formidabant. Eadem cibos hortationesque pugnantibus suggeriebant. Proditum memoriae est inclinatum aciem aliquando illarum hortatu restitutam. Creduntur ad haec arbitrari aliquid sancti, prouidique in foeminis esse earumque consilia propterea non aspernari, responsum negligere. Mercurio certis diebus humanas hostias immolabant. Herculi & Marti ex careris animalibus. Sortes & auguria in usu. De minoribus rebus principes ciuitatis consultabant, de maioribus vniuersa ciuitas. In inchoandis rebus noua luna aut plena obseruabatur. Noctium non dierum numerus supputabatur in ea gente. In concilium armati ventitabant: Sententiam approbaturi frameas concutiebant, id honoratissimum assentiendi genus, contra aspernati fremitu significabant. Transfuges & proditores ex arboribus pendentes, igni & imbelles atque infami corpore coeni obruti, aut a palude aliqua superiecta crate necabantur, tanquam scelera in aperto ponenda essent, flagitia consergenda, nihil publice, aut priuatim magistratus agere, nisi armis instructi. In comaeu & affectatione incredibili aemulatio, qui maiori iuuenum globo stipatus in publicum processisset, praecipua celebritate apud suos & finitimos esse. Turpe & in omni vita infame suo duci superstitem in praelio esse, nisi victor is ex acie decessisset. Princeps pro victoria, comites pro principibus dimicabant. Bella vltro appetere, utpote quibus omnis a re bellica esset quies ingrata. Inertiae & ignauiae dabatur sudore aliquid quaerere, quod posset cruore parari. Bellorum cura destituti somno & cibo vel fortissimi quique

Nudi pugna
uerunt
mani

Scuti in pugna
amissio
flagitium in
gens
Reges
Exercitus
duces

Sacerdotum
dignitas

Deorum simul
lachra in praelium
gestabantur

Matres & liberi
in bello

Mercurius, Mars, & hercules a Germanis venerati

Assentiendi ritus.
Transfuges & proditores
poena.

Megasthenes
armati

Germani in bellum conuersi

indulgebant, domo & agrorum cura foeminis & senibus delegata, ut mirum videri possit, duo tam diuersa eidem genti adfuisse, & inertiae amorem, & odium quietis. Vicatim plurimum discretisque domicilijs habitabant. Tegumen fuit sagum, fibula, aut si ea defuisset spina confertum: locupletissimi veste distinguebantur, non fluxa, sed stricta, ac pene singula membra exprimente: idem foeminis habitus, qui & viris. Atque Germani ipsi omnium fere: qui ad septentrionem & ortum habitant soli vnica vxore contenti ab initio fuere: quamquam & in his nonnulli plura celebrarent connubia. Non vxor viro, sed vir vxori dotem comparabant. Nec ad delicias quaerebatur cultus, sed iugati boues dabantur, frangens equus, & scutum cum framea & gladio. Mira in foeminis pudicitia, nulla spectandi fuit illecebra, nulla conuiuiorum ratio: rara in tam numerosa gente adulteria, cuius conuicta mulier resectis capillis, nudatam coram propinquis maritus domo exactam, toto vico verberibus agebat: profligatae pudicitiae nulla venia, non aetas, non forma, non opes connubium corruptis conciliare poterat. Nemo tamen vicia ridere, id enim saeculum corrumpere & corrumpi arbitrabantur. Sic vnam mulieres maritum accipere, ut vnum corpus & vnam vitam, nec vlla cogitatio vltra, nec longior cupiditas, tanquam matrimonium amarent, non maritum, plus apud illos boni mores valuerunt, quam alibi bonae leges. Serus in iuuenibus vsus veneris, atque eo minus exhausta pubertas: nec connubia virginum properabantur, ut validior esset procreatio. Homicidium certo pecorum numero luebatur: atque vniuersa domus satisfactionem capiebat. Conuictibus & hospitali mensae supra modum studebant. Nefas habebatur quatenus domo aut epulis arcuisse. Gaudebant muneribus, nec data imputare, aut obligari acceptis. Diem noctemque potando continuare. Temulentia nulli probro data est. Crebre post crapulam rixae, raro conuictis, caede saepius transigebantur: de pace & bello in conuiujs consultare, quasi nullo alio tempore simplicius paterent hominum curae, aut ad res magnas magis incallescere. Gens minime astuta, simpliciter omnia arcana detegere: postridie acta retractabant, ut de summa rerum deliberarent, dum fingere nescirent: decretum vero ferrent, dum errare non possent. Potus ex hordeo in similitudinem vini corruptus: proximi flumiuorum accolae aduecticia vina in vsu habebant. Cibus simplex, agrestia potio, recens farina, & lac concretum, potus inmoderatio. Vno spectaculorum genere vsus, ut nudi iuuenes inter gladios & frameas sese celeriter expedirent. Exercitatio artem parabat, ars decorem. Aleae adeo studiosi, ut caeteris amissis nouissimo iactu de libertate contenderent: victus voluntariam seruitutem adibat: & quamquam iuuenis & robustus, ligari se & vendi patiebatur. Annum in hyemem, ver & aestatem diuisum habebant, autumnum vini & caeterarum frugum inopia nescientes. In funere lamenta & lachrymas cito abstergebant, in dolore & tristitia permanebant diutius: foeminis tantum lugere permissum, viris meminisse solum. Et hi olim fuerunt Germanorum mores talis viuendi ritus. Sed quae mutatio longo temporum intervallo ut in caeteris gentibus, sit facta ex praesenti rerum statu deprehendi potest.

Vestitus

Matrimonia

Adulterij poena.

Vicia non ridenda.

Homicidij multatio.

Temulentia non probro data

Potus ex hordeo. Cibus. Spectacula

Ludendia amor

Funeris Germanorum ritus

De oim gentiū ritibus.

Recētia ger
manorū insti
tuta
Clericorum
Germanorū
mores
Reuerentia
clericis q̄re
exhibeat

Clericorum
Germanorū
studia

Sc̄ps̄ status
nobilis est.

Nobiles ger
manie quan
ta sibi arre
gent

Nobilis stu
dia

Venatio pri
uatis interdi
cta
Vestitus no
bilis Germa
nice

Incessus no
billum

Omnis hodie Germanorū conditio siue status quadruplex est. Primus clerico-
 ricorum tam secularium q̄ religiosorum est, cuius utriq̄ magnis & largis
 redditibus censibusq̄ prouisi, ab alijs plurimum honoris percipiunt, non io-
 lum, q̄ deo optimo maximo sacrificent, sanctorum laudes cantent, a canima-
 rum curam habeant, sed etiam q̄ scripturas intelligant, & ipsis interpretent,
 vitamq̄ cœlibem agant. Nam qui in his minus probant facile ab inerti vul-
 go aspernari solent. Vestitu religiosi quicq̄ suo, & satis decenti vtuntur. Sæcu-
 lares tunicas portant fluxas, pullo vt plurimum colore, caput mitra lanea te-
 gunt non multum fastigiata, sed capite aurenus satis adhærenti. Ex collo-
 quum in publicum procedunt fasciam dependunt, quidam sericam, quidā
 laneam honestatis tantummodo causa. Superducunt & calcēis crepidas siue
 sandalia, quę domum reuersi deponunt. Ocio maior pars vacat, literis pau-
 ci intendunt, pomeridianas horas ludendo potandoq̄ deducentes. Iniurias
 suas minores sacerdotēs ad episcopum deferunt, & aliquando ad Rhoma-
 nam curiam, vnde graui damno eos, qui nocere aliquando afficiunt, & sibi
 securitatem parant. Secundus status nobilium est, hic gradus multos habet:
 sunt enim principes, sunt Comites, atq̄ Barones, atq̄ inferioris gradus mi-
 lites. Principēs non solum dignitate & generis claritudine, sed & potentia
 ceteris antecedunt, terras habent & dominia latissima, Comites & Barones
 ceteriq̄ nobiles per regionem dispersi florū adinstar interlucēt. Sed il-
 lud in nobilium ordine mirum videri potest, q̄ principes ipsi, atq̄ comites
 Cæsari, quoties Imperij necessitas exigit, obsequia tanq̄ subiecti præstent,
 milites exemptos se dicant, & nisi ad stipendium nemini seruiant, nec subdi-
 tos suos seruire sinant, & tamen Rhomanū Imperatorem dominum suū
 ac principem esse dicant & recognoscant. Prophanari & non parum minui
 generis sui splendorem existimant, si mercaturam artemue aliquam moecha-
 nicam exerceant. Si plæbiam aut sibi inferiorem vxorem ducant. Si in alienā
 vrbe ciuium more habitent. Ipsi vrbānorum confortia cōmercia omnia per-
 osi, arces & robustiora splendidioraq̄ ædificia in montibus syluis & rure
 collocata cum familia sua libere habitant. Quidam principū aut regum cu-
 rias frequentant, & bella sequuntur: alij de redditibus suis & patrimonio vi-
 uentes domi manent, cōmuniter tamen venantur, quod solis ipsis licere lon-
 go vsu & concessa libertate contendunt, priuatis leporum præsertim, capre-
 arum, hinnulorum ceruorumq̄ venatio in aliquibus locis oculorum efful-
 sione, in quibusdam truncatione capitis interdicta, noxias tamen feras capta-
 re cuiq̄ licet. Laute insuper nobiles ipsi epulantur, vestiuntur splendide, au-
 ro & argento diuersi coloriq̄ serico tam viri q̄ mulieres domi & foris exor-
 nantur, multo familiarium cœtu incedunt, & incessu adeo maturo & præme-
 ditato, vt a plæbais mox vt videantur internosci possint. Equis si longius
 eundum sit, & non pedibus vadunt: dedecorosum enim hoc valde ducunt,
 & merum egestatis iudiciū. Sed prædari, vbi necessaria desint, non verentur.
 Iniurias illatas raro iure, sæpius congregato ex locijs equitatu, ferro, flāmis
 & rapinis vlciscuntur, coguntq̄ per hoc eos, qui intulerunt ad satisfactiōem.

Gens superba, inquieta, auara ecclesiarum praelatis & eorum bonis insidians semper subditos rusticos irremissa seruitute exercet, incredibile dictum quantum miseris & infelices homines vexet, quantum exugat. Eset Germania nostra ter quaterque felix si Centauri isti Dionysii & Phalarides, aut eiccerentur, aut saltem ipsorum tyrannide refranata & potestate diminuta priuatum quemadmodum in Heluetia, nobiles viuere cogentur. Sequens status oppidanorum est, quorum quidam Caesari tantum subiecti sunt, quidam principibus aut ecclesiarum praelatis. Qui Caesari parent libertates multas habent, mores etiam & instituta quibus in communi ferme vtuntur, Singulis annis ex ciuibus magistratus suffragio creatur, apud quem summa potestas cum Imperio sit, in caput animaduertere cuiusque habet, hoc ordine, Si de criminibus agitur, assident in concilio hi, quos sibi ciuitas delegit, rei ipsi ligati adducuntur, accusatoribus & reorum defensoribus dicendi copia datur, quibus auditis, eunt in sententiam non vt leges censent quas non nouerunt, sed prout ratio eis dicit atque iudiciorum consuetudo habet, quod & in ciuilibus causis obseruatur: excepto quod Caesar in his appellari potest: in illis vero non. In omni fere Imperiali ciuitate duplices ciues sunt: ingenii & plabeii, Mercantijs & officinis plabeii intendunt: ingenii (qui & patricij dicuntur) patrimonijs tantum redditibusque suis contenti equestrem ordinem imitantur. Si plabeiorum quispiam ditior factus se illis commercio aut consuetudine commiscere contempderit repellitur. vnde longo iam tempore vterque status in suo valore perdurat. Reipublicae administratio tamen fere communis est, & vtrisque permixta: nec eis plabeis seruire aut subiecta esse videtur, sua cuique substantia tuta est, & libertas, saluis legibus, vt viuere velint: in communi iusticia per totam regionem ab illiteratis administratur. In singulis oppidis & nonnullis pagis etiam viri duodecim, vitae integritate ac honestate praecipui eliguntur in iudices, nullo habito respectu sciant ne literas vel non: illi iudicandi munus necessario subeunt: licet remunerationem seu mercedem inde nullam expectent, praeter honorem, pro communi tantummodo bono, suis negotijs posthabitis, iudicij statuto tempore intendunt, iurantque singuli se vnicuique iudicatos scdm quod eis visum fuerit iustius atque melius. Nec a sententijs eorum maiores nostri appellabant, indignum fore putantes tantorum virorum gratis iudicantium decretis contraire. Hodie vero passim ab eis appellari coepit, quod ferendum esset, si iudices, ad quos appellatum fuerit, in iudicando consuetudinem priorum iudicum seruarent: sed hoc a paucis attenditur immo plerumque priorum iudicum sententiae, alioquin nullam iniquitatem continentis, ob id solum quia contra leges scriptas prolatae inveniuntur retractantur, in quo sine eorum demeritis & iudices primae instantiae imperitiae sugillantur, & victrix pars grauatur, hoc quod iustum sit viderint ipsi. Ciues insuper honestissime inter se & amicissime viuunt: in locis publicis & priuatis frequenter conuenientes mercantur, conuiuuntur, colludunt, colloquunt raro alterutrum decipiunt, raro contendunt: quocumque tempore, quocumque etiam loco, tam viri quam mulieres obuiantes inuicem honorant & salu-

Germaniae nobilium ciuibus delitas

Germania abique nobilibus felix

Tertius Germanorum status oppidanorum est

Magistratus oppidanorum.

Iudiciorum forma

Ciuium Germanorum conditio duplex

Illiterati iudicant viri duodecim.

Appellatiois abusus.

Ciuium concordia & consuetudo.

De oim gentiu ritibus.

Victus tant. Victu vestituq; priuatis diebus ferme omnes Germani admodum frugali & simplici vtuntur, festiuis parum splendidiori. Operantes in die quater comedunt, ociosi bis. Habitus quo viri induuntur comuniter laneus est: quo mulieres, lineus: sed adgo vtrorunq; diuersus & colore & forma vt raro vnus sicut alius vestitus appareat. Aduenticijs & nouis vestimentorum formis iam plurimum gaudent, Italicis Gallicisq; praesertim, a quibus ante paucos annos obtusa calceamenta viri, cum fluxis & discissis manicis tunicas, & texta pilea, quae pyretia vocant, receperunt: gestabantur mea adhuc memoria rostrati calcei, vestes curtae atq; strictae caudata capitia. Sed ista antiqua virorum frugalitas hodie ad mulieres venit, mulieribus commissa est. haec depositis multiplicibus pepelis, quibus grandia olim capita faciebant, vnico tantum hodie velantur, modestius incedunt Aurum, argentum, & vniones exquisita item vestimentorum simbria ex varijs & preciosis animalium pellibus aut sericis fere omnino abiecerunt. Quid dicam de vestium Sarmatis quae nisi apud nobilitatem vix magis conspiciuntur: Satis honestus hodie foeminarum vestitus est, satis decorus, nihil haberet quod merito reprehendere quis posset, si a quibusdam superne nimium non excauaretur. In funeribus & parentationibus nigris amiciuntur: defunctos dies triginta lugent, ac ipsis interim ter iusta peroluunt, primo videlicet die, septimo atq; tricesimo. Ad dei cultum deditissimi sunt: nullus artificum est, qui mane, anteq; laborare incipiat aedes sacras non intret, & diuino officio intersit, serui atq; ancillae ad hoc a dominis quasi compelluntur, turpe putant eiq; non modicum exprobrandum, qui ex pigritia aliaue inani causa sacra negligunt. Eleemosynas multas tribuunt. Nulla fere ciuitas est in qua non fratrum mendicantium conuentus sunt: peregrinorum inopum publica hospitia: Aluntur etiam iuvenes ephoebi, qui studiorum causa paterna domo digressi voluntarie hinc inde exulant, tam multi interdum in vna ciuitate, vt mirari possit vnde nutriantur, illi a ciuibus ex pietate hospitantur: victum domesticatim cantantes mendicant, eum tamen large accipiunt, propter hocq; aedibus sacris, & sacerdotibus deputati diuina officia cantent, ad clericatumq; instituantur: Domus publica iuxta singulas parochias vna est, in qua artium & disciplinarum studio tam hi q; ciuium filij quotidie conueniunt: qui ipsis praesunt docentq; viri non minus virtute q; doctrina spectati sunt: delinquentes & literarum neglectores ferulis percutiunt aut verbis duriusculis castigant. Priuatae aedes pene omnes contiguae sunt, atq; pro ciuium facultate vicorumq; dispositione constructae. Diuites lapidibus coementocq; superbe aedificant: pauperes luto & ligno tantum humiliter: tegulis tamen latericeis aut scissili lapide aedificia sua vtriq; tegunt, ob decorem ne aut aduersus incendium affermare non possunt. In Saxonia & alijs plerisq; locis dolatis asserculis operiunt: quare oppida parum venusta visunt, & igni magis obnoxia sunt: plateae vt plurimum silicibus stratae sunt. Portae seu exitus vrbiu cellis turribus insigniti, in quibus diurni custodes aduentantes equites tuba significare solent, vt hi qui portas inferius obseruant praemoneant, & eas in maiori tutela

Habitus Germanorum diuersus.

Mulierum Germanorum: i cultu corporis decencia.

Luctus funebris

Germani ad cultum dei pensati.

Misericordiae sunt Germani.

Pueri studiorum causa exulantes.

Studij locus apud parochias
Liberi praecipue

Vrbano: edificiorum forma.

Domorum: et in Saxonia

habent. Vrbes cōmuniter natura & arte munitæ, aut iuxta vorticosa flumi-
na vel in montes sitæ sunt: quæ in plano resident muris fossatis vallis insupe-
rabilibus circumseptæ turribus & propugnaculis innumeris, veluti ex terra
prominent. Est etiam multarum ciuitatum circūiacens ager fossis adeo
profundis & amplis conclusus, vt ab externa populatione & is tutus sit.
Eorum postremum, qui in rure pagatim villati inq; habitant, quicq; illud eo-
lunt, & propter hoc rustici vel rurales appellantur, si credere velint, satis mi-
sera & dura conditio est: seorsum ab alijs quisq; cum familia, & pecore suo
humiliter viuit. Casæ luto lignoq; e terra paululum eductæ, & stramine cōn-
tectæ, domus. Panis cibarius, puls auenacea, aut decoctum legumen, cibus.
Aqua serumue potus. Toga lineæ, perones duo & pileus fucatus, vestitus.
Gens omni tempore inquietā, laboriosa, immunda. In vicinas ciuitates ad
vendendum portat quicquid tam ex agro, q̄ ex pecore fructus percipit: sibi
q; ibi ediuerso comparat, quorumcunq; eget. Artifices enim secum habitan-
tes nullos aut paucos habet. In sacra æde quæ in singulis vicis cōmuniter vna
est festo die ante meridiem omnis conuenit & a sacerdote suo dei verbum
& sacra audit: post meridiem vero sub tilia aut alio publico loco, atq; de suis
rebus tractat. Iuniores postea modulante tibicine choream ducunt, senes pe-
tunt cauponam & vina bibunt. Absq; armis in apertum virorum nullus va-
dit, gladijs ad omnem temporis fortunam præcincti. Viros singuli pagi in-
ter se eligunt duos aut quatuor, quos rusticorum magistrōs appellant, conuen-
tionum illi contractuumq; sequestres sunt, & reipublice dispensatores: ad-
ministrare tamen nō habent, sed domini, aut qui ab his eis præficiuntur bar-
baro nomine Sculteti: dominis crebro per annum seruiunt, rus colunt, & se-
mine conspangunt, fructus metunt, & horreis important, ligna secant, domos
ædificant, fossas effodiunt. Nihil est quod seruilis & misera gens ipsis de-
bere non dicatur. Nihil etiam quod iussa facere absq; periculo recusare au-
deat, delinquens grauitè multatur. Sed nihil est genti durius, q̄ q; prædio-
rum quæ possidet, maior pars non sua sit, sed illorum, a quibus cetera frugum
parte quotanni redimere debet. Et tales hodie in vniuersum Germanorum
mores sunt, si viuendi ritus.

Vrbium situs

Quare Ger-
manorū fra-
tus agricolā
rum est

Agricultorū
misera con-
ditio

Quid dieb;
festis rusticū
agunt.

Rusticorum
magistri.

Sculteti pa-
gorū p̄fecti.

De Saxonia, Saxonumq; & prisca & recentibus
moribus. Caput Tredecimum.

Saxoniam Germanicæ particularis regio, ab occasu Visera fluuio, aut vt alijs
volunt, Rheno terminata: ad aquilonem Dacos habet, & mare Balteum:
Francones ad meridiem, quibus Baiuarij & Boemi obtendunt: ad or-
tum Pruteni: intra quos terminos q̄ multæ gentes diuersis nominibus ho-
die includantur, ex supradicta Germanicæ descriptione intelligi potest, quæ
omnes Saxonici iuris esse volunt. Terra a Saxonibus populis nomen accepit,
quos qdam reliquias Macedonici exercitus qui secutus magnū Alexandrū
in natura ipsius morte per totū orbem sit dispersus, esse dixerunt: Quidam

Saxoniam li-
mires

Saxones vñ
in Germaniā
p̄uenere